

‘Mihi plane tuae literae fuerunt quod Persis Διὸς ἐγκέφαλος, quemadmodum aiunt Graeci’.

In his porro si qua videbuntur eiusmodi vt in oratione soluta vix toleranda putentur, meminerit hanc exercitationem ad carminis quoque compositionem accommodari.

Age iam ad eundem modum in altera quapiam sententia variandi facultatem experiamur; eaque diligatur natura non admodum foecunda neque ad varietatem idonea, quo magis appareat quantum possit haec commutandi ratio, si vsu atque exercitatione confirmetur. Hanc igitur sententiam sumamus:

SEMPER DVM VIVAM, TVI MEMINERO.

Principio aduerbio ‘semper’ nullum respondet idem pollens, neque in aliam vocem deflecti potest. Deinde ‘viuam’ nullum item habet simile, et verbum est vnicae vocis, id est neutralis, nec vllum ex se propagat nomen praeter ‘vitam’. Deinde ‘meminero’ non solum vnicae vocis est verbum, verum etiam mancum et multilum peneque sterile, vt pote a quo nulla soboles proficiscatur praeter ‘memor’ et ‘memoria’. Porro duo verba quae his opponuntur, ‘mori’ et ‘obliuisci’ videlicet, et ipsa sunt tum manca, tum sterilia. Tamen aggrediemur. Caeterum variandi rationes ex superioribus per se lector agnoscat.

‘Semper dum viuam, tui meminero’.

‘Nunquam dum viuam, tui non meminero’.

‘Nunquam quoad victurus sum, me tui capiet obliuio’.

‘Haud vnquam dum vixero, tu animo excideris meo’.

‘Nunquam donec viuam, mihi venies in obliuionem’.

‘Nunquam quoad in viuis ero, tui nobis veniet obliuio’.

‘Non prius tui meminisse desinam quam viuere’.

‘Non me ante tui memoria quam vita ipsa reliquerit’.

‘Vsque dum spirabo, tui memor fuero’.

- | | | |
|-----|---|---|
| | ‘Donec hac luce fruar, tu animo haerebis meo’. | 1 |
| 510 | ‘E viorum contubernio citius emigrauerim quam tui memoria nostro e pectore demigrarit’. | 1 |
| | ‘Ipse prius e viuis excessero quam Morus e nostra excesserit memoria’. | 1 |
| | ‘Lux haec me prius deficiet quam tui immemor esse coepero’. | 1 |
| | ‘Vita me non serius destituet quam tam chari capitis recordatio’. | 1 |
| 515 | ‘Idem dies mihi tui memoriam eripiet qui vitam’. | 1 |
| | ‘Eadem lux obliuia tui nobis est adductura quae mortem’. | 1 |
| | ‘Idem nostrae tui memoriae vitaeque finis erit’. | 1 |
| | ‘Dum memor ipse mei fuero, tui meminisse neutiquam pigebit’. | 1 |
| | ‘Non alius nostrae tui memoriae quam lucis erit interitus’. | 1 |
| 520 | ‘Is solus dies tui memoriam extinxerit qui vitam’. | 1 |
| | ‘Ante mei ipsius quam tui obliuisci incipiam’. | 1 |
| | ‘Nostro e pectore non prius elabetur Mori memoria quam haec anima’. | 1 |
| | ‘Praeter vnam mortem nullus omnino te mihi casus expectabit’. | 1 |
| 525 | ‘Egone tam iucundi conuictoris vnamquam viuus queam obliuisci?’. | 1 |
| | ‘Tum demum Mori sui obliuisci poterit Erasmus, cum ipse sui desinet memor esse’. | 1 |
| | ‘Dum mihi sensus vllus mei reliquus erit, tu semper animo nostro obuersaberis’. | 1 |
| 530 | ‘Cordi meo charior es quam vt viuo quidem in obliuionem venire possis’. | 1 |
| | ‘Intime nostris in praecordiis repostus est Morus, sic vt praeter vnam mortem nulla res illum illinc queat eruere’. | 1 |
| | ‘Orco tradar ipse prius quam te mandem obliuioni’. | 1 |

- ‘Dum spiritus his oculis, his manibus imperabit, tu pectori insidiabis
meo’.
 535 ‘Dum spiritus hos reget artus, tui meminero’.
 ‘Quam diu supererit in nobis halitus, non quiuero tui non meminiisse’.
 ‘Dum in viuis agam, vsque viuet in me tui memoria’.
 540 ‘Is mihi dies vitae finis erit qui tui obliuionis erit initium’.
 ‘Idem casus hanc animam teque e meo reuellet animo’.
 ‘Donec superstitem esse sinent superi, tui perpetuo recordabor’.
 ‘Dum quicquam vitalis caloris in hoc pectore palpabit, tui memoria non euanescet’.
 545 ‘Non mihi diuturnior vita futura est quam tuorum in me meritorum memoria’.
 ‘Non mihi breuior fuerit tui memoria quam ipsa vita’.
 ‘Non minus durabilis erit tui capitis recordatio quam haec ipsa vita’.
 550 ‘Me mihi eripiet is dies qui tui memoriam adimet’.
 ‘Ipse mihi subducatur prius quam te in memoria habere destitero’.
 ‘Haud longior erit mihi lucis huius functio quam tuae benignitatis memoria’.
 ‘Non mihi posterius suppetet viuere quam tui meminisse’.
 555 ‘Extra me fuero citius quam Morus intra hoc pectus esse desinet’.
 ‘Vita haec tuique memoria pari stadio ad metas decurrent’.
 ‘Prorsus non erit Erasmus, cum Mori immemor erit’.
 LB 27 560 ‘Non extabit hoc caput, vbi tam singularis amici quiuero obliuisci’.
 ‘Donec super terram acturus sum, non committam ut obsolescat apud me tuae comitatis memoria’.
 ‘Donec communem hunc aerem hauriam, tu crebro animo occur-sabis meo’.

- 565 ‘Nunquam serius futurum est Erasmo vitam quam tui memoriam obtinere’.
‘Non ante de te cogitandi finem fecero quam Atropos fatale filum secuerit’.
‘Si qua dies vñquam tui paritura est obliuiscentiam, ea certe nunquam antecesserit ei quae me luce orbabit ipsa’.
‘Sol hic qui videt omnia nunquam me videbit non memorem tui’.
‘Mors vna tui recordationem his e praecordiis emouebit’.
‘Donec vlla vitae portio his in artibus residebit, Morus ab Erasmi cogitatione nunquam aberit’.
575 ‘Quandiu sanguinis vlla pars hoc in corpusculo calebit, nunquam apud me refixerit Mori memoria’.
‘Mihi quidem dum vita aderit, tu a mente mea nunquam es abfuturus’.
‘Quousque manebit huius animae corpusculique copula, tu a mea memoria nullo tempore seiungeris’.
580 ‘Prius animus corpori quam tu animo meo praesens esse desines’.
‘Spiritus ipse citius ex huius corpusculi domicilio demigrabit quam animo impressa meo imago tui deleatur’.
585 ‘Aequa diurna fuerit apud me tui memoria ac vitae cursus’.
‘Eadem erit et viuendi et de te cogitandi meta’.
‘Non arctioribus pomeris tui recordatio claudetur quam ipsa vita’.
‘Quoad vlla vena mihi vitali tempore saliet, dulce fuerit vsque tui meminisse’.
590 ‘Quantum mea Lachesis fatale stamen extenderit, tantundem extendetur et mea tui memoria’.
‘Eadem mihi et viuendi et de te cogitandi mensura fuerit’.
‘Quoad corporis molem flatus viuificus sustinebit, animum maxime tui memorem geram’.
595 ‘Dum lucis vsum coelitum indulgentia concedet, te semper animo feram’.

‘Dum vitam permittent superi, non committemus vt tam fidi con-
gerronis vnquam nobis obrepat obliuio’.

600 ‘Donec me non deficiet anima, animum hunc et memorem et
gratum nunquam posuero’.

‘Quoad vsque sole volubili frui fas erit, hunc hominem habebis
tui memorem’.

‘Viuum non videbit Erasmus, qui videbit oblitum tui’.

605 ‘Quanto tempore vita mihi duratura est, mens quidem haec ma-
nebit tui recordantissima’.

‘Quandiu supero hoc Ioue continget frui, non mihi contigerit o-
bliuisci tui’.

610 ‘Donec vita perseverabit, tu cordis obtutibus semper es obuersa-
turus’.

‘Nominis ante mei quam tam rari amici mihi ventura est obliu-
scentia’.

‘Ipse mihi prius excidero quam tui vultus imago’.

‘Viuenti quidem Erasmo haud vnquam excidet Morus’.

615 ‘Nulla diuturnitas aeiui tui apud me memoriam oblitterabit’.

‘Non nisi mecum tui extinguetur memoria’.

‘Ante fatalem diem e nostra memoria non eliminaberis’.

‘Ante obitum non desistam tui meminisse’.

‘Ante suprema funera non cessabo tui memor esse’.

620 ‘Non ante exacta vitae stamina tui queam obliuisci’.

‘Viuo quidem Erasmo Morica memoria haud vnquam effluet’.

‘Tui apud me memoriam nulla vnquam aetas antiquabit’.

‘Ante summum diem non abrogabitur in me memoria tui’.

625 ‘Nulla neque locorum neque temporum iniuria efficiet, quomi-
nus tui quam maxime meminerim in vita’.

‘Per omnem vitam tui meminero’.

‘Haec vita, quam longa continget, cum tui memoria semper erit coniuncta’.

‘Ad ipsum usque rogum me tui memoria prosequetur’.

‘Mei sensu carebo priusquam coniunctissimi hominis caritrus sim recordatione’.

‘A meis ipse membris distrahar antequam tu ab animo meo diuellare’.

‘Mors mihi citius acciderit quam obliuio tam dilecti capit’.

‘Certum est mortem oppetere potius quam tui memoriam non iugiter obtinere’.

‘Non nisi me sepulto tui recordatio sepelietur in me’.

‘Tui quidem aut mecum aut nunquam est interitura memoria’.

‘Donec expirem ipse, spirabit in me Mori mei memoria’.

‘Donec apud superos agitabimus, nunquam mihi incesset tuae benignitatis obliuio’.

‘Ante obitum nunquam animo meo tui incurret obliuio’.

(Sic enim loquitur Seneca.)

‘Nihil tam arduum haec vita mihi gignere queat, ut tui memoriam ex his praecordiis possit extundere’.

‘Nulla res tam atrox mihi possit in hac exoriri vita, quae tui conciliet obliuionem’.

‘Viuo nihil possit existere quod mihi tuae erga me humanitatis conflet obliuiscientiam’.

‘Sic in me radices egit memoria tui, ut nullis omnino casibus, qui quidem viuis soleant accidere, sit unquam cessura’.

‘His nimirum monumentis animo meo consecratus es, ut ea nullum aeui spatum valeat | demoliri, ni forte mors, cui nihil rerum mortalium non cedit’.

‘Nisi ipse mortalis essem, non dubitarem hanc de te memoriam immortalem fore polliceri’.

‘Si immortalis esset Erasmus, immortalis itidem foret tui apud illum memoria’.

- ‘Eiusmodi statuam in animi mei penetralibus tua merita erexe-
660 runt, vt ea quoad me tellus sustinebit nullo casu sit diruenda’.
- ‘His titulis Morus inscriptus est cordi meo, vt eos nulla temporis
iniuria possit vnquam exedere’.
- ‘Non nisi vna cum aetate tui recordatio in me consenescet’.
- ‘Ipse mihi prius excutiar quam Mori nomen ex adytis cordis exi-
665 gatur’.
- ‘Id vnum tibi et confirmo et praestabo, donec in mortalium nu-
mero futurus sum, tu e scrinio memoriae nostrae nunquam dimou-
uebere’.
- ‘Vt omnia tempus possit, certe hoc vnum illi non licebit vnquam,
670 vt viuo mihi tui pariat obliuionem’.
- ‘Semper hic animus tui cum primis meminerit, neque id me dies
quamlibet longa dedocebit’.
- ‘Donec me tellus alet, vnum illud nunquam quibo dediscere, vi-
delicet tam chari sodalis meminisse’.
- ‘675 Donec futurus sum *ἐπιχθόνιος*, vt Homerico dicam verbo, Mori
memoriam continenter obtinebo’.
- ‘Quoad mihi continget inter *σῖτον ἔδοντας*, vt Homerice loquar,
annumerari, nunquam hoc de pectore Mori vultus labetur’.
- ‘*Οφρ’ ἀν ἔγογε / Ζῶσι μετέω καὶ μοι φίλα γούνατα ὄρώρα,*
680 quemadmodum inquit Homerus, tu mihi nunquam es obliuiscen-
dus’.
- ‘*Ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο*, vt est apud Home-
rum, nunquam te auferet obliuio’.
- ‘Tui memoriam perpetuo pariter cum ipso vitae progressu produ-
685 cam’.
- ‘Superstiti Erasmo sublimitatis tuae memoriam nullus vnquam
dies expunxerit’.
- ‘Corpore quidem abs te distrahi potero, verum animo te semper
intuebor, quoad vitam numina largientur’.
109. . .
110. . .
111. . .
112. . .
113. . .
114. . .
115. . .
116. . .
117. . .
118. . .
119. . .
120. . .
121. . .
122. . .
123. . .

- 690 'Donec aura vitalis hos artus moderabitur, tu a nostris cogitationibus nullo momento es abfuturus'. 124
 'Vsque adeo penitus his praecordiis tui impressa est memoria, vt nullo vnquam pacto videatur eradenda'. 125
 'Vt omnia tempore marcescant, tui certe memoria ad occasum vsque vitae apud me vigebit'. 126
 695 'Arctius Morum meum animo complexus sum quam vt viuo possit elabi'. 127
 'Eadem me lux exanimem videbit quae tui conspiciet immemorem'. 128
 700 'Adeo viuam quandam imaginem tui pectori insculpsisti meo, vt vix etiam mors ipsa sit abolitura'. 129
 'Non erit Erasmus tui memoria viuacior'. 130
 'Tam viuax erit tui apud me memoria, vt ipse non sim futurus viuacior'. 131
 705 'Nunquam intercidet apud me Morica memoria, donec ipse non intercidero'. 132
 'Semper hunc hominem experieris tui recordantem, donec vitae particeps erit'. 133
 'Expers huius vitae fuero priusquam a tui memoria alienus'. 134
 710 'Adeo viuax est in me tui memoria, vt ipse non sim illi futurus superstes'. 135
 'Altius meae memoriae insedisti quam vt vlla te res inde queat emoliri'. 136
 715 'Tenacius inhaeres cordi meo quam vt praeter mortis casum quicquam aliud inde te queat eiicere'. 137
 'Penitus hoc in pectore conditus es quam vt hinc vlla ratione sis excludendus, donec mihi vitam fata non inuidebunt'. 138
 'Interius insitus es animo nostro quam vt inde incolumi quidem queas extirpari'. 139
 720 'Fixius impressum est cordi meo simulachrum tui quam vt superstiti possit vnquam detrahi'. 140
 'Sic effigies tui cogitationi meae penitus impressa est, vt eam nulla sit aetas abrogatura'. 141

- ‘Dum vita suppeditabit, nihil extiterit quod fixam animo meo
725 Mori statuam valeat labefactare’. 142.
- ‘Fieri nunquam poterit vt vel viuam parum tui memor’. 143.
- ‘Donec apud superos commorabor, ne tota quidem Lethes aqua
tui memoriam poterit abolere’. 144.
- ‘Donec aura vescar aetherea, subinde tui reminiscar’. 145.
- 730 ‘Vitam modo Deus impertiat, ego tibi mentem perpetuo tui me-
morem polliceor’. 146.
- ‘Si quis mihi vita functo sensus erit, tam dulcis amiculi recorda-
bor, tantum abest vt viuu sim obliturus’. 147.
- ‘Omnia mihi citius acciderint in vita quam obliuio tui’. 148.
- 735 ‘Tum sursum versus recurrent amnes, vt Graecis est in prouer-
bio, cum Erasmus Mori sui poterit non meminisse’. 149.
- ‘Non alius me visurus est oblitum tui quam qui visurus est *arduis / Pronos relabi riuos / Montibus et Tyberim reuerti*, vt ait
Flaccus’. 150.
- 740 ‘Ante leues alto pascentur in aethere cerui quam viuum Era-
smum Mori capiat obliuio’. 151.
- ‘His coloribus in tabula pectoris mei depicta est imago tui, vt
eam nulla annorum series possit eluere’.
- ‘Supremus vitae dies me tui memorem deprehendet’. 152.
- 745 ‘Sospite vita, non me fugiet memoria tui’.
- LB 29 ‘Salua vita hac non demorietur apud | me tui memoria’. 153.
- ‘Quoad haec mihi vita comes erit, comitabitur et tui recordatio’. 154.
- ‘Haec me vita tui memorem relinquet’. 155.
- ‘Non auolabit a nobis tui memoria, nisi auolante vita’. 156.
- 750 ‘Ad supremum vsque viuendi limitem tui nobis memoria perse-
uerabit’.
- ‘In obtinenda tui memoria non fuero mihi dissimilis, nisi viuus
esse desiero’. 157.
- ‘Donec hoc vitae munus diuina benignitas mihi saluum esse vo-
let, non intermorietur apud me tuae benignitatis memoria’. 158.
- 755 159.
- 160.
- 161.

- 'Vita defungar prius quam tui recolere cessabo'.
 'Diem obiero citius quam te ventis et aurae mandem'.
 'Clavis adamantinis nostrae memoriae infixus est Morus, quos
 non nisi vna mors valeat abrumpere'.
 760 'Ad ipsos vsque cineres pergam tui meminisse'.
 'Ad extremam vsque senectam tui me comitatura est memoria'.
 'Per vniuersum vitae spatium Mori meminerit Erasmus'.
 'Ad extremum vsque rogum tuorum erga me beneficiorum me-
 moria prorogabitur'.
 765 'Fatalis ille dies denique me tui memorem est reperturus'.
 'Dabo operam vt tuae humanitatis recordatio ad Libilitam vsque
 proferatur'.
 'Nunquam mihi quicquam obtigerit in vita neque tam laetum ne-
 que tam acerbum, quod tui nominis recordationem e sinu pecto-
 ris mei queat expellere'.
 770 'Quoad hic animus in hoc corpusculo tenebitur alligatus, non e-
 xulabit mea memoria Morus'.
 'Citius futurum est vt alterum in orbem tui memoriam mecum
 deferam quam vt hic abiiciam'.
 775 'Animam egero prius quam te memoria tenere desiero'.
 'Si quando corpus vmbram suam poterit effugere, hic animus tui
 quibit obliuisci'.
 'Non antequam diem vitae nouissimum clausero, desiturus sum
 tuam in me beneficentiam animo circunferre'.
 780 'Quam longa dabitur vita, tam erit longa tui memoria'.
 'Par nobis erit tui memoriae vitaeque modus'.
 'Tui meminero quoad auras carpsero vitales'.
 'Absit vt mihi breuior fuerit tui memoria quam vita'.
 785 'Quam diu superabit Erasmus, tandiu tui meminisse non grauabi-
 tur'.
 'Vita orbabor antequam tui me relinquet memoria'.

- ‘Supero priuabor lumine vt prisorum more loquar, citius quam
Morus ex animo deleatur meo’.
- 790 ‘Ocyus hoc mihi corpusculum morte refrixerit quam tui memoria
frigescat apud me’.
- ‘Inextinctam tui memoriam semper tenebo’.
- 795 ‘Quantum temporis anima fruar (sic enim loquitur Salustius),
tantundem tui meminero’.
- ‘Perpetim tui recordatus fuero’.
- 800 ‘Sine fine tui meminero’.
- ‘Nulla res mihi tui obliuionem inuexerit, nisi quae me ex hac lu-
ce euexerit’.
- ‘Orbem hunc verterim citius quam animum hunc tui memorem
vertero’.
- 805 ‘Vita me exuerit is casus qui tui importabit obliuionem’.
- ‘Crudelibus vmbbris occubuero, quemadmodum loquuntur poetae,
citius atque tui recolere desiturus sim’.
- ‘Efferar ipse citius quam tui memoria e corde efferatur meo’.
- 810 ‘Ad ipsum vsque bustum me tui memoria prosequetur’.
- ‘Ne defunctus quidem tui possim obliuisci, nedum viuus’.
- 815 ‘Viuenti mihi nunquam ob<s>olescet hominis tam bene meriti
recordatio’.
- ‘Quando futurum est vt apud Erasmus euanescat Mori memo-
ria? Nempe dum vita destituetur’.
- ‘Vsque eo tui memor ero, dum in viuis agam’.
- ‘Vsque dum spirabo, te corde gestabo’.
- ‘Quam diu dabitur anima frui, vt Salustiano more loquar, non de-
sinam tui memoria frui’.
- Sed iam sit modus. Neque enim id agitur, vt ostentemus quo-
815 sque nos in commutando progredi possimus, sed vt studiosis a-
dulescentibus exemplo demonstremus quantam orationis vberta-
tem paritura sit haec exercitatio. Sententiam enim non admodum
felicem neque magnopere ad commutandum foecundam ferme
ducenties, vt opinor, commutauimus,

820 neque tamen minutulas illas variandi rationes sumus anxie perse-
 quuti. Nunc quod reliquum esse videtur, varias quasdam oratio-
 num formulas proponemus, non id agentes vt omnes persequam-
 mur – nam hoc vtilissimum quidem, verum prorsus infiniti fuerit
 825 operis – sed vt ostensis aliquot velut exemplis, vel sibi quisque
 similia fingat, vel alius aliquis, cui plus ocii suppetet quam no-
 bis, huiusmodi dicendi figurās ex omnibus autoribus petitas co-
 piosius atque accuratiū impertiat copiae candidatis.

QVIBVS MODIS TRIBVIMVS PLVRA EX AEQVO. CAP. XXXIII

‘Est vir tum eruditus, tum probus’. ‘Est iuuenis et formosus et
 830 bene ingeniatus’. (‘Atque’ repetitum poetarum est; Vergilius:
 ‘Atque deos atque astra vocat crudelia mater’.) ‘Est vir doctus
 pariter ac probus’. ‘Est vir doctus simul et integer’. ‘Est vir tam
 LB 30 doctus quam bonus’. ‘Vir est doctus iuxta ac | bonus’. ‘Vir est
 non minus probus quam literatus’. ‘Vir est non inferior literis
 835 quam moribus’. ‘Vir est ex aequo probus atque doctus’. ‘Vir est
 aequo literatus atque incorruptus’. ‘Vir doctus aequo ac probus’.
 ‘Vir perinde doctus ac probus’. ‘Exquisite doctus est, itidem et
 facundus’. ‘Vir est non minore morum probitate quam doctrina
 praeditus’. ‘Vir est quemadmodum doctus, ita et inte ger’. ‘Vir
 840 est doctusque bonusque’ (in carmine). ‘Vir simul eruditus, simul
 integer’. ‘Vir est doctusque et integer’ (in carmine). ‘Vir est
 haud secius eruditus ac probus’. ‘Vir est vt doctus, ita et probus’.
 ‘Vir est doctus, et idem probus’. ‘Vir est optimus, idemque doc-
 845 tissimus’. ‘Vir est pari vel doctrina vel probitate praeditus’. ‘Vir
 est non tantum eruditus, sed et integer’. ‘Vir est non modo doc-
 tus, verum etiam probus’. ‘Vir optimus quoque est, non modo
 doctissimus’. ‘Non tantum ferunt, sed impellunt’. (Haec sermo-
 nīs forma peculiaris est Seneca, vt omittatur ‘etiam’.) ‘Vir est
 850 praeter summam eruditionem etiam optimus’. ‘Vir praeterquam
 quod doctus est, etiam optimus’. ‘Vir est de quo dubites, doctor-
 ne sit an melior’. ‘Vir est in quo cum literis probitas morum ex
 aequo certet’. ‘Vir est qui literas aequarit cum vitae sanctimo-
 nia’. ‘Vir est cuius eruditioni respondet